DE TRIDUANA SUPPLICATIONE

AD SARCIENDAM I. C. DIVINITATEM

HABITA IN BASILICA S. MARCI

MENSE NOVEMBRI AN. MDCCCLXIII

NARRATIO

ANTONII TESSARIN

ARCHIPRESBYTERI ET CURIONIS

LATINE REDDITA

AB ALEXANDRO PIEGADI PRESBYTERO

ET

AMPLISSIMO S. R. E. CARDINALI

PATRIARCHAE VENETIARUM

DICATA.

VENETIIS

TYPIS LAUR. GASPARI IMPR.

ANNO MDCCCLXIV.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

S. R. E. CARDINALI PRESBYTERO

IOSEPHO ALOISIO TREVISANATO

PATRIARCHAE VENETIARUM

ALEXANDER PIEGADI

PRESBYTER OBSEQUENTISSIMUS

Tantà enimvero meam pastoralis Epistolae tuae, PRINCEPS eminentissime, quà triduana sacra indixisti, interpretationem latinam humanitate, benignitate et gratia excepisti, ut minime profecto verear, ne nimiae reprehendar temeritatis, si Tibi et hanc (quae, dempto latino cortice, mea non est) narrationem nuncupo et offero. Quin immo, ni omnino alucinor, spe ducor fore, quod eam aequi bonique facias, et adprobes, quippe quae et a tali exarata fuerit auctore, quem ob raras eius animi mentisque dotes in pretio habes, et graphice adeo depingat quidquid catholica Venetorum fides in perinsigni Basilica S. Marci tribus iis egerit diebus, quibus suam Christo divinitatem Venetia tota,

Te auctore, Te auspice, Te quoque actore, omnimodis pietatis actibus propugnavit, ut et exteri homines, eâ relatione ex ephemeridibus nostris perlectâ, cum Pastoris Gregis veneti sollicitudinem et vigilantiam, tum Gregis veneti religionem, firmamque et ardentissimam in Iesum fidem stupeant atque commendent. Illud vero, quod tantam, quam nunc libens ostento, ex tua bonitate fiduciam, maxime infirmat, est porro latini cultûs, quo hanc indui italam narrationem, humilitas atque inconcinnitas, quae textûs vivacitatem et splendorem nisi omnino si adimat, nae saltem imminuit. Atqui, quae sit cumque, et quantula mea laboratio (quam ad hunc tantum, et sane non alium, finem obivi,

ut et apud gentes illas, quibus idioma nostrum est ignotum, aut insolens, Venetorum catholicitas *divulgetur, in exemplumque afferatur), ex indiciis a benignitate tua nuper datis coniecturam capere mihi liceat, me Tuam, Cardinalis amplissime, quam imploro, quamque in omnes Tibi addictissimos filios tuos conferre usus es, plenissimam pro tantillo dono indulgentiam esse experturum. Anulo interea tuo dare me osculum ne dedignere.*

Pulchra o, munifica, immortalis, sueta triumphis,
Hunc quoque, dia FIDES, hunc quoque in acta refer.

Ex Ode. V ***Maggio*** **ALEX. MANZONI.**

NARRATIO

Venetia catholica statim ut ab eminentissimo Pastore suo perquam disertâ atque ardenti epistolâ sese accersiri intellexit, publico insignique fidei suae vere catholicae documento respondit. Diebus siquidem IX. VIII. VII. calendas decembres tum triginta Urbis Curiae, tum Ordines regulares, tum Seminarii praepositi professoresque ex sancti Moysi templo, in quod unâ cum magnâ devotâque hominum mulierumque frequentiâ convenerant, ordinatim proficiscentes, sacrosque in viam psalmos et hymnos mutuo canentes, vix dum metropolitanam s. Marci Basilicam introierunt, profunda singuli ex animo adoratione procubuere ante Sacramentum maximum e sublimi throno propositum, uti communi hoc fidei

argumento publice solemniterque constaret, quantum quisque improbaret atque detestaretur haereticum illum et blasphemum ERNESTI RENANI libellum, quo sua Christo divinitas audaciter impieque negatur. Illi equidem comitatui catholico, qui ad supplicationes in unum coierat, ordinem quemque civium immixtum vidisses : tabernarios, scilicet, et opifices, iuvenes et canos, puellas et nuptas, quin etiam matres cum infantulis lacti inhiantibus, et magistratùs insignes, et primores clarissimos, et matronas conspicuis ortas natalibus; propterea quod in unâ cuncti, eademque essent mente; cuncti tenêri se ducerent, ut, pro sua quisque pietate, iniuriam Christo illatam sarcirent; cuncti non modo in templo, sed et patulo in foro praebere se apud cives suos spectatores fidei Christi et in Christum professores impavidos gloriarentur; itemque propterea quod communis esset et caussa et obligatio et utilitas, et Venetia tota, tanquam vir unus, concordi animo conspiraret, sanctâque indignatione succenderetur adversus audacem illum impiumque hominem, qui infernis paginis, in hanc quoque, eheu! Urbem sparsis ac disseminatis, vafre tentavit, uti Venetia ipsamet eum aspernaretur thesaurum longe ceteris pretiosiorem, quem possidet, immo privilegium illud, propter quod in toto terrarum orbe sin-

gularis omnino est, ortum videlicet habuisse catholicum iisdem porro diebus, quibus Arius, novi Arii gallici antesignanus, divinitatem Christi negarat. Venetia quippe, quanta est cumque, in temerarium irruebat Gallicanum, qui in id unice nervis omnibus contendebat, ut tantum ei munus eriperet, quo freta ac munita gloriosissimum sibi ducit omni se tempore catholicam servavisse, micantemque atque actuosam fovisse fidem in Iesum Christum Dei Filium, cuius honori tot excitavit insignia templa, in quae electiores et auri et argenti et marmorum divitias profudit; et sacram insuper Iesu in cruce suffixi imaginem in viis quoque publicis delineavit, pinxit, insculpsit, ut viator sese prosterneret ante Eum, in cuius fidem et exorta est, et excrevit, et prosperitate consenuit, cuiusque ea gloria, quae exterior est, cum Venetiae gloria dio favore confunditur.

Quiqui vero triduanâ illâ supplicatione in perinsignem Basilicam introirent, admirabantur immensam densamque populi multitudinem ante Sacramentum augustum genibus provolutam. Mirum sane, et in exemplum, hos et illos vidisse frontem in honorem Christi demittere, manûs suppliciter tollere, cunctosque audiisse concordi precari voce divinum hominum Servatorem! Omnes quidem ad unum pia contendebant aemulatione, ut omnia, quae

poterant, obsequia Christo tribuerent; ex ipsis sane oculis lacrymantibus, ex ipso vultu, fidem testante, animorum commotio aegre cohibita ostendebatur. Iam iamque hanc concentu suavissimo exclamationem audiisse putasses: « Nempe omnia alia, quae-
» cumque sint, abdicamus; at fidem in Christum,
» minime gentium: e pectore potius divellatur cor
» nostrum; at fides in Christum, absit, absit
» omnino. »

Tum vero, cum reboantia de turri aera sacra nuntiarunt, iam os aliquod apostolicum interpretaturum esse coram Sacramento maximo pia adstantium sensa et vota, tanta adfluxit, quia potius irruit in templum cuiusque aetatis et ordinis multitudo, ut immenso capiendo numero angusti nimis fines Basilicae viderentur. Tum quisque, oculis in pegma coniectis, concionatorem audire inhiabat. Sacro enimvero Dei verbo auditorum adfectûs unanimae pietatis significationibus respondebant. Quisque suspiria ducere, quisque lacrymas mittere: quae suspiria, quas lacrymas ciebat primâ die *Iohannes Berengo* Canonicus, hodie et Capituli S. Marci Theologus, altera vero die *Iohannes Baptista Andreotta* is quoque Canonicus, Vicarius Dioeceseos, nunc et auctus munere Poenitentiarii; qui duo oratores lectissimi et summâ doctrinae copiâ, et virili

facultate dicendi, et appositis comparationibus, et quibusdam ad tempus quam maxime accommodatis recordationibus, ac toto denique commoti animi nisu et impetu de pleno pectore iaculantes apostolici zeli potius (paene dixerim) tela, quam verba, auditores, quot aderant, excitabant atque inflammabant, ut vivam et firmissimam in Iesum fidem magis et magis foverent atque corroborarent ; eosque praeterea vehementer exstimulabant, quod iacta in Iesum convicia et probra omni pietatis studio sarcirent. Quoniam vero nil per se aliud omnino poterant, lamentabantur Gallicum Christi hostem nostra quoque in urbe exsecratum volumen illud evomuisse impune, quod et Venetiam credentem dedecorat, et sanctiora contemnit, ludibrioque habet Ecclesiae mandata.

Nunc autem impares nos esse fatemur aptis coloribus, non dicam ad vivum reddere, verum ne adumbrare quidem confuse publicam illam, quam delebit oblivio nulla, ardentissimae fidei catholicae demonstrationem, quae in Basilica S. Marci, iam advesperascente die tertio, omnium animos adstantium commotione suavissima affecit. Eâ siquidem horâ Cardinalis eminentissimus, cum personae suae gravitate, tum pontificalium indumentorum maiestate verendus, postea quam piam affectuosamque ad Iesum orationem converterit, qua totius populi no-

mine fatebatur, se Iesum credere non modo Hominem verum, sed et Deum verum in sanctissimo Sacramento latentem, et contentione vocis ad pietatem inflexae novos fidei populi sui stimulos adiiceret, ut ipse magis magisque Iesum Deum verum in Sacramento infiniti amoris crederet adoraretque, eo quoque et fine, ut de tot probris contumeliisque Eum compensaret, quas evomuerat nefandus ille, infernusque RENANUS, qui una cum ceteris Sacramentis, et hoc implicite denegabat; eâ, inquam, horâ Cardinalis eminentissimus ingeniosa et aptissima transitione religiosum populum hortatus est, ut triduanam supplicationem, alieno expiando sceleri indictam, absolveret publico, et ceteris manifestiore et pleniore actu fidei in Iesu Christi divinitatem; ea praeter adstantes monuit, ut et ipsi, quam ille particulatim exprimeret, ad verbum repeterent confessionem inconcussae in Iesum Deum fidei, itemque protestarentur, sese, quo apertius validiusque eam confirmarent, sanguinem, ipsamque vitam esse effusuros. Tantâ enimvero quisque alacritate, vivacitate, unanimitate verbis Pontificis nostri alta voce concinuit, ut evidentissime patuisset unum impelli quemlibet necessitate erumpendi in hanc publicam fidei catholicae professionem. Plurima quippe vocum millia audiebantur nomen fidei proferre, et iterum

ciere, et tertio. Filii, lugente Patre, lugebant, quorum singultûs pia verba abrumpebant; verumtamen augusti Templi parietes iisdem vivae fidei sensibus una cum singultibus resonabant. Nec tantummodo labris, sed et pectore, aeque afflicto atque lenito, sincera fidei professio erumpebat. Singulos in lacrymas ire vidisses; tàntaque porro erat animorum vere catholicorum commotio, ut in venas quoque et medullas penetravisset. Hoc profecto iure ac merito nuncupari poterat sincerum, liberum, concors, catholicum plebiscitum, quod unum prae ceteris omnibus argumentis vehementius et validius volumen illud exsecrabile confutabat. Ex quibus apertis et unanimis fidei significationibus absurdum nimirum haud esset coniicere, ipsum quoque miserrimum infortunatumque Scriptorem, si eodem in templo, eodemque vestigio temporis adfuisset, catholicum, quasi per vim, evasisse; eiusque in Christum blasphemiam, vix ore prolatam, fuisse derepente intermortuam; et (iterato Balaami harioli prodigio) Iesum e contrario laudasse, verumque Dei Filium praedicavisse. Quin immo et ominari fas esto, RENANUM, eâ sibi manu pectus tundendo, quâ infames paginas exaravit, exeuntem de Basilica exlamavisse: *Vere Filius Dei erat iste* (*Matth.* XXVII, 54).

Ea praeter mihi suadeo, ut interim Marcus

Evangelista Venetiarum patronus, et Laurentius Iustiniani primus Urbis Venetae Patriarcha, ullis invisi, mediam circumvolarent Venetorum congregationem ad Sacramentum prostratam, et prae gaudio collacrymantes fidei totius Urbis protestationem colligerent, eâque ad thronum Iesu Christi porrectâ, eorum primus verba haec habuerit: « En tibi ipsa » fides, quam ego, fidei Petri discipulus, dum morta- » les induerem exsuvias, quas possident cives mei, il- » los edocui; » et addiderit alter: « En fides, quam » vivâ ego voce et scriptis in cordibus meorum om- » nium filiorum fovi roboravique: quamque, meorum » curâ apostolicâ Successorum, late in dies apud » amatissimum gregem meum fructicare nemo » non vidit. » Narratu vero difficillimum foret, quae quantaque in ingenti illo Catholicorum conventu fuerit adhuc pia animorum commotio, insolensque cuiusque vultûs iucunditas hilaritasque, postea quam sub vesperum tertiae diei, ut et biduo ante, Patriarcha noster venerandissimus, trino Sacramenti maximi ductu, pacem a Iesu Christo exorato impertierit. Quidnam profecto puncto illo temporis non adspexisses? Hos et illos miscere dextras, religiosa verba conserere, ire alterum in amplexûs alterius, lacrymas plerosque profundere, iterare nonnullos fidei protestationem. Ita quidem cuiusvis animus prae

sensu catholico subsiliebat, extraque quodammodo effundebatur; quem porro sensum in corde Venetûm, qui constantissime in àncoris fidei se tenuere, nulla unquam (ita vivam) vis Satanae, nullaeque eius administrorum ac satellitum technae, quantumvis callidae perversaeque, compescere, nedum extinguere poterunt.

Ubi vero Pontifex eminentissimus, e cuius ore laetitia inenarrabilis emicabat, viam erat ad palatium Patriarchale ingressurus, tum obvia fit ei turba plurima, iter impedit, tentat flexis genibus patrem suum amplectari, et sacras ei manûs prae ardentissimi amoris aestu iterum atque iterum osculatur; ut queas dicere easdem Pastoris manus fuisse et osculis calefactas et lacrymis madefactas filiorum, qui gratias habebant patri suo, utpote qui catholicam cuiusque fidem fuisset tam insigniter interpretatus.

De eventu hoc faustissimo Venetiis adhuc sermo habetur, perdiuque summo cum gaudio a civibus nostris habebitur. Hanc autem ad exteras nos gentes Narrationem transmittimus tum ob quamdam nobilem gloriationem, tum quoque eo consilio, ut ad aemulationem eas excitemus. Hic quippe, hic eventus maiori ponet in gloria Venetiam, cui cum catholica supersit fides, eaque in dies firmior et vegetior, superest ei bonum, quo maius nequeat desiderari, et

verae fons integer prosperitatis. Nunc vero, exactâ sacrae rei narratione, prae exsultantis, commoti, pergratique animi sensu cantare liceat:

Pulchra o, munifica, immortalis, sueta triumphis,
Hunc quoque, dia FIDES, hunc quoque in acta refer (*).

EXPLICIT

Venetiis die 28 Januarii 1864.
Nil obstat quominus imprimatur

✠ IOSEPHUS ALOISIUS CARD. PATR.

(*) Si cui volupe erit hanc interpretationem conferre cum textu italico, adeat *Ephemeridem Venetam* diei XXVIII Novembris an. 1863, pag. 1070, Num. 270.